

**Disputatio medica aegrum haemorrhoidibus dolentibus et immodicis
laborantem exhibens ... / sub praesidio ... Georgii Wolffgangi Wedelii ... in
auditorio medico publicae eruditaeque philiatrorum disquisitioni exponit
responsurus autor Johannes Fridericus Eckhardus ... anni M DC LXXIX.**

Contributors

Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.
Eckhard, Johann Friedrich, active 1679-1680.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Literis Samuelis Krebsii, [1679]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ezj69pda>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

B. SS. T.

DISPUTATIO MEDICA

ÆGRUM

HÆMORRHOIDI-
BIUS DOLENTIBUS ET
IMMODICIS LABORANTEM

exhibens,

Quam

SUB PRÆSIDIO

EXCELLENTISSIMI ET EXPERIENTISSIMI

DN. GEORGII WOLFF.

GANGI WEDELII,

MED. DOCT. THEOR. P. P. MED. DUC.

SAX. S. R. I. ACAD. NATUR. CURIOS.

ADJUNCTI,

Dn. Præceptoris, Promotoris & quondam

Hospitis sui omni observantiae cultu aeternum

de venerandi,

IN AUDITORIO MEDICO

publice erudit & que Philiatrorum disquisitioni exponit

RESPONSURUS AUTOR

JOHANNES FRIDERICUS


ECKHARDUS,

HALA - SVEVUS,

ad diem Mart. Anni M DC LXXIX.

JENÆ

LITERIS SAMUELIS KREBS II.



PRO O E M I U M.

 Audet vitalis microcosmi succus suis limitaneis terminis, quibus ceu parietibus alluens continetur, curiosè à naturâ custoditus, non minus ac in macrocosmo fluidum solido, mare terræ ambitu coeretur. Ut verò è cryptis vivida prompte prosilit unda, seu porosioribus arenarum canalibus eò invitata, seu concamerationibus profundis exitu commodiori dato; ita quoque si exundet sanguis, illis potissimum locis impetu facto vel proruit vel colligitur, quæ fornicata, teneriora & profundius ad viscera abditam sternunt vitam.

Caput per nares; pulmo, ventriculus, lien per os; mesenterium & reliqui infimæ culinæ ministri per hæmorrhoides seorsim protrudere observantur sanguinem, quin tota massa sanguinea per easdem vias modò criticè, modò symptomaticè affectat exitum, & secundum naturam penitus ex utero in fœminis stato tempore, stato pondere exit.

Mittimus hac vice alias illuviei hujus latebras, solæ ad se nos vocant jam hæmorrhoides, aureum flumen æmulantes, si bene procedant, & germanam attendere velimus nomenclaturam. Nulla æquè sanguinis scaturigo totidem experitur symptomata, quam infima hæc ipsa, adeò & tumores & dolores, & centena alia inde propullulant.

Dum verò aggredimur duo horum præcipua, quæ reli-

quorum omnium instar esse possunt, divinum veneramur
Numen, ut omnia feliciter cedant.

I. N. J.

HISTORIA.

Vlr 45. annorum, temperamenti melancholici,
habitus gracilioris, facie luridâ, doloribus hy-
pochondrii sinistri dudum afflictus, & ulceribus ac
tumoribus pedis ejusdē lateris laborans, cibis salitis,
piperatis, frequenter usus, pilulas etiam aloeticas cre-
brius assumere solitus, cum aëre hyemali equo for-
tius vectus domum, plenus irarum ob adversam for-
tunam, rediisset, sentit circa plenilunium post deposi-
tas alvi sedes stillare guttam sanguinem & chartam
maculare, (non insuetum verò ipsi fuit etiam men-
struatim pati hæmorrhoides) hinc dolores circa
anum accrelcere cum levi tenesmo, digitis tandem
prominere tuberculum molle indolens, idque jam
per aliquot septimanas. Fluxus sanguinis per vices
continuat, tumor verò post duriorum scybalorum
dejectionem præcipue extuberat inæqualis, ut sæ-
pe nec sedere nec decumbere vel stare valeat. Erum-
pente tandem graviori sanguinis impetu vires atteri
observat, & procidere alvum ratus petit consilium.

R E S O L U T I O.

AGrum nostrum hâc historiâ propositum hæmorrhoidibus labore rare nemo exploratis supra positis circumstantiis negabit.

Cum verò hæmorrhoides, ad symptomatum excretorum vel retentorum classem spectantes, missis aliis quamplurimis differentiis à magnitudine, numero vel loco, origine & figurâ &c. desumptis, distinguâtur principaliter in cœcas & apertas, illas dicendo, quod sine, has verò quod cum sangvinis excretione fiant, ideo nobis explorare incumbit, ad quamnam speciem hæ nostræ, de quibus jam agendum, hæmorrhoides sint referendæ.

Dicimus ergò ægrum nostrum pati hæmorrhoides modò aperatas & tantùm non immodicas, modò tumentes & dolentes. Neque enim infrequens est, ubi semel ad hanc lacunam mittere consuevit magis sangvinem archéus, pro diversâ ejus *sârsei*, acrimoniâ & statu alterutrum evenire.

Affectus hujus præsentiam confirmant.

I. **E S S E N T I A L I T E R I N H A R E N T I A** seu παθογνωμονικâ, qualia sunt sangvinis profluvium ex vasis, potissimum internis, ani dejectiones excipiens, & magnus dolor ac tumor, quæ manifestè & infallibiliter eum adesse patefaciunt.

II. **E S S E N T I A L I T E R C O N S E Q U E N T I A** idem revelant, & quidem ex *actionibus lejis vitalibus* prostratio virium; *animalibus* dolor & levis tenesmus; *qualitatibus mutatis*, facies lurida; in *excretis*, hæmorrhagia &c.

III. **C A U S Æ P R Ä G R E S S Æ** etiam assentiuntur, nimisrum ciborum salitorum atque piperatorum, nec non pilularum Francofurten-sium frequens usus, ut & animi ac corporis motus excessivus, aëisque hyemalis, quas in sequentibus latius explicabimus.

IV. **S I M I L I T U D O** quoque idem testatur, cum, tali modo decumbentes hoc affectu laborare, lippis quoque & tonsoribus notum sit.

S U B J E C T U M P R I N C I P A L E sunt vasa sangivifera, tum venæ, tum arteriæ sedales. Duplices autem sunt arteriæ & venæ, vel externæ vel internæ. *Arteriæ externæ* sunt pars hypogastricæ, quæ ab iliacâ, è ramo arteriæ magnæ, infimo ventri dicato, consurgente provenit; *internæ*

verò sunt arteriæ mesentericæ inferioris propaginis, intestinum rectum irrigantes. *Vena externa* est propago venæ hypogastricæ, quæ est ramus iliacæ à trunco venæ cavæ descendente productus; *interna* surculus est rami mesenterici à porta prodeuntis. Vid. *Dn. D. Fromann. tr. de hæmorrhoidib. probl. VI. pag. 22.* Utut verò in extimis partibus, ubi in tenuia filamenta fatiscunt vasa, recluso pariete & sepimento membranaceo, non exactè semper definiri posse videatur, utrū arteriæ, an venæ magis affectæ sint, cum oscillis promiscuè referatis affluxus & refluxus legitimè fieri nequeat; ex legibus tamen circulationis claret, arterias respectivè magis in culpâ esse, quæ scilicet continuò adducunt sanguinem à corde, ceu centro, ad circumferentiam totius.

M I N U S P R I N C I P A L E constituimus hypochondria, lienem, cumprimis & mesenterium, imò adæquate totum corpus, quatenus in eo causa morbifica continetur & alitur.

C A U S A I M M E D I A T A hujus mali, quoad fluxum quidem, archéi est ad expellendum irritatio, & consequenter vasorum sanguiferorum in podice per *άνασόμωσιν* apertio; quoad tubercula verò subsistentis sanguinis distensio.

M E D I A T A M P R O X I M O R E M verò quoad *effentiam* statuimus sanguinem & serum, quæ ut omniū fere morborum causa, ita & hic optimo jure accusantur. Sangvis in primis melancholicus, seu potius atrabilarius communiter sic dictus memorandus venit, stimulis saliniis acribus pollens & irritare & distendere aptis.

Helmontii assecla *Fr. Oswaldus Grembsius in arbore integræ & ruin. homin. scribit*, fluxum hæmorrhoidalem fieri, si fel & pylorus non benè consentiant, vel si transmutata sextæ digestionis transfrantur in primam, tūm contingere ejusmodi fluxus hæmorrhoidales.

Tachenius suum alkali & acidū; *Sylvius* & *Græffius* humoris pancreatici vitium accusant.

Quoad modum effendi hi humores vitiosi peccant i. *quantitate*, quatenus nimirum abundant in toto corpore, ut etiam ex ulceribus & tumoribus pedis sinistri lateris appareat, unde natura gravata eosdem ad intestinum rectum defert.

2. *Qualitate*, dum noxia in iis deprehenditur potestas, & acrimonia falsa, intestinum rectum vellicans, hinc & tenesmum excitans,

3. Motu tūm generationis, tūm locali. Generata fuit prava ista materia in corpore toto, in primis in visceribus sanguinis depurationi destinatis, in specie verò quod lien, cuius officium est, recentiorum plerorumq; effato, sanguinem à corde transmissum insito suo fermento ulterius coquere, ejusque crassiores partes ad feliciorem in ordinariis naturæ emunctoriis separationem perficiendam elaborare ac disponere, suo munere ritè fungi & debitam sanguiniconstitentiā fœnerari non potuerit. Hinc recrementosæ istæ partes p. n. salinæ in sanguine cumulatæ, & in aliis visceribus, quorum hasce secernere officium erat, ad sequestrationem ineptæ, faciunt ut cæteræ partes male nutriantur, hinc facies decolor, affectus hypochondriacus, & centena alia gignantur mala. Non minùs in arteriis sedalibus, à loco, in quo finiuntur sic dictis, motum concepere peregrinum, partim dilatatis vasorum crispaturis stagnando, partim, reseratis eorundem osculis, αθερως effluendo.

Nequè mirandum adeò est in scorbuticis, hypochondriacis, melancholicis, maniacis & similibus, adeoq; & in nostro ægro, fluxum hujusmodi hæmorrhoidalem contingere, si cogitemus consuetâ methodo partem mandantem, recipientem, modum & vias. Videmus sanè in foeminis totum corpus ογκασμω in massâ sanguineâ concepto in menses ordinariè exsolvi; in capite redundante sanguine nares hæmorrhagiâ stillare, redundante eodem versus pulmones, ventriculum, renes decubitu illo suo exitum ambire diversum, seu onere isto suo, seu acrimoniâ, seu motu vitiato facebat negotium. Merito ergo jure dicemus PARTEM MANDANTEM esse hypochondria, plurimis vasis praedita, plurimo sanguine. Non mirandum hinc non contentum æquè esse sanguinem his spatiis, sed regurgitare saepius inducto ογκασμω præsentibus obstructionibus, ut decumbat in glandosis & torosis his ani partibus, quæ PARIS sunt RECIPIENS, debilis natura, debilis affrictu & aliis fluxu ad hanc lacunam quasi invitantibus, adeoq; ad recipiendum aptissima. VIAS jam suprà memoravimus. MODUM verò etiam stante circulatione commodè per ωσιν & ελξιν definiimus, ut hoc pacto innuamus plus affluere quam refluxere, læsam esse proportionem in pondere, mensurâque huc distribuendi sanguinis, unde facile reliqua vitia consurgunt.

Ex Causis mediatis remotioribus naturalibus memorandum TEMPERAMENTUM MELANCHOLICUM, & HABITUS CORPORIS gracilior, quæ ambæ hunc hospitem libenter quoque suscipiunt.

E numero rerum necessariarum, aliàs non perperam NON-NATURALIUM dictarū considerandus est AER, qui ut tempore hyemali est concentration & aquosior, ita humiditates & fluxiones humorum auxit, &, ad centrum suum calorem cogens magis, motum intestinum majorem effecit.

Nec minimum momentum contulit CIBUS, quo usus est, inconveniens, piperatorum & salitorum esu delectatus, qui sanguinem fervidiorem & acriorem reddidit, ad fluendum & stimulandum postmodum magis aptum.

Sic & insignem ansam præbuit usus crebrior pilularum Francofurtensium aloēn recipientium, quæ ob stimulandi proprietatem & acrimoniā conjunctā sanguinem fervidiorem reddentes, oscula venarum reserant & non sine aliquâ fermentatione singulari massæ sanguinæ inducțâ ad excretionem sanguinis invitant, de quo vid. *Frid. Hoffmann. M.M. l.i.c.VIII. p. 80.* Unde & experientiam docere inquit *Sebizijs disp. depurg. ultim. quest. 5.* quibus sedis venæ, quas hæmorrhoidales appellant, turgent, aut aperiuntur, vel minima aloës sumtâ portiunculâ aut tumefieri aut recludi. Et *Fallopiajs* scribit, toties se fluxum hæmorrhoidum procitasse, quoties aliquot saltem vici bus aloēn dedisset. Videmus etiam eos qui aloē frequenter utuntur, in hæmorrhoides incidere, & mulieribus suppressa menstrua illius assumptione evocari posse compertum est. Cum verò effectus hic certus sit, & in nostro ægro aloës usus non parum ad tenesimum & fluxuum hæmorrhoidalem contulerit, illud saltim hoc loco tangemus, quod aloë id cum aliis purgantibus, quæ salino-sulphureum principium magis habent pansum, habeat commune, & tūm hâc ratione, tūm deteriore intestinorum & bili stimulum addendo id præstet.

MOTUS quoque ille nimius ab equitatione succussoriâ particuliarum heterogenearum exagitationem promovit, & corpus ad hoc malum suscipiendum magis idoneum reddidit, unde & plures hunc affectum hoc modo sibi conciliasse observavit *Reiner. Solenander* *sect. iv. Conf. xx.*

In EXCRETIS memoranda est consuetudo naturæ & fluxus hæmorrhoidalis singulis mensibus accidens, qui ante viam fecit tritā, ut posteà humores inhærentes eò faciliùs & commodiùs ad anum deferi potuerint.

ANIMI PATHEMATA adversâ fronte occurrentia hic quoque summo jure accusari queunt. Quippe ira, quâ correptus fuit, spiritus in vasis sangviferis inflammans, sanguinem in motum ciens, humores exagitans affectum nostrum insigniter promovit.

EX PRÆTERRATURALIUM causarum classe *dolor hypochondrii sinistri* diu affligens, præire & comitari, quin causari affectum ut in aliis solet, ita etiam in nostro ægro attendendus est, sive innuens intestinorum, coli cumprimis, sive partium musculosarum spasmodicam tensionē, seu, quod credibilius in nostro casu est, obstructa vasa in parenchymate lienis, quem sæpiissimè hoc symptomata ciere, exempla in praxi testantur non infrequentia. Sic & *ulcera* & *tumores* pedis notant sanguinem vitiosum ac partibus conservandis ac nutriendis ineptū, ut adeò & in nostro ægro assertum è praxi natum valeat, hæmorrhoides cacochymiæ biliosæ & scorbuticæ maximè esse indices, & sanitatem non adeò firmis niti grallis.

Positâ hujus affectus origine, nunc symptomatum exinde productorum rationes inquirere oportet, quæ signorum vicem in historiâ obiêre prius.

1. *Tumor ac dolor circa anum* notat copiam sanguinis magnam in eo loco esse collectam, vasaque distendentem, à tali verò distensione solutio continui intenditur, unde non potest non, quia plures nervi ac isti diversi generis in sphincterem ani inseruntur, quin satis molestus sensus podici inducatur, varians dein pro materiae quantitate vel majore vel minore, vel qualitate acriore vel obtusiore, nec non compressione & attritione scybalorum duriorum &c.

2. *Fluxus sanguinis continuat* à collecti sanguinis ὄργασμῳ, unde in extimis his confiniis vel stato tempore, vel indefinito orificio vasorum laxantur, & cruorem exstillant.

3. *Tuberculum molle indolens prominet*, à decubitu sanguinis vasa venosa æqualiter jam distendente, unde tangenti digito cedit, nec dolorem æquè movet.

4. *Tumor post duriorum scybalorum dejectionem præcipue extuberrat inæqualis*, factâ per desidendi conatum & nisum fortiorem vasorum extensione simulque crispaturâ.

5. *Nec sedere nec decumbere sèpè novit*, ob tristem sensationem, à compressione tuberculi hœc modo per parietum commissuram majore factâ.

6. *Attritio virium* fit ab evacuatione sanguinis nimiâ, necessarii quippe naturæ thesauri, nam si hic minuitur, impossibile est, ut corpus omnigenas suas vires & justam constitutionem retinere possit.

7. *Procedentiam ani* mentitur prominentia tuberculi, in primis post alvi depositionem ad aucti, quod ipsum ignaris non raro sub specie procumbentis intestini recti imponit.

8. *Tenesimus* apparetis à stimulatione humorum acrum & salfum ortum trahit.

Perlustratis hisce, de *τεγγυώσει* agere operæ pretium jam ducimus.

Quod *SALUTIS ET MORTIS* eventum attinet, videri quidem posset affectus satis periculosus, quod & immoderatus effluat sanguis, vitæ thesaurus, & doloribus ac cruciatibus æger maximè defatigetur: nam, scribente Galeno *I. 9. M.M.c. 10.* eritimes & immodicæ sanguinis, per hæmorrhoides hoc loco eruptiones spiritus exhauiunt, calorem nativum penè extinguunt, concoctionem lœdunt, decolorationem efficiunt, cruditates gignunt, apoplexiam, paralysin, cachexiam, hydropem & atrophiam inducunt, imò totum corpus refrigerant, jecorisque ac ventriculi summam debilitatem afferunt. Ita *Greg. Horstius Ep. Med. I. IV. p. 248.* refert patruum suum Medicum celebrem Jacobum Horstium in ordinato hæmorrhoidum fluxu succumbentibus viribus vitam cum morte commutasse. Nihilominus tamen speramus meliora. Sanguis magis effluit per collectionem ibi hærens & redire renuens, quam per affluxionem impetuosam; æger fluxui huic adsuetus est, non diu adhuc duravit, & quæ alia bona signa adsunt.

MODUM EVENTUS quod concernit, salutiferum eum fore præfigimus materiae morbificæ, nominatim sanguinis correctione & collecti discussione, procuranda aptis remediis, ita ut singula item suis ritè fungantur muneribus & aberranti naturæ commodior

mon-

monstretur via sese ab inquinamentis liberandi, quin ab iis immum-
nem se præstandi.

Nullum verò dubium, LONGIUS paulò malum daturum
esse molestias, quod huc tanquam ad sentinam natura vitiosos humo-
res amandare consverit, fovente id ipsum cacockymia, & visce-
rum obstructionibus, quorum correctio ipsa quoque moram ali-
quam postulat. Unde patientia ægro imperanda, & obsequium,
quò citius defungatur molestiâ, à nobis quovis modo averruncandâ.

Breviter igitur præmissâ theoriâ hujus mali, jam subveniendum est
ægro, ut quam possimus citissimè eum ex hoc labyrintho eripiamus.

CURATIO melius absolvî non potest, quam si juxta svetam me-
dendi methodum, tribus innitentem indicationibus, procedamus,
quarum prima est CURATORIA, ubi respectus habendus ad fluxum
hæmorrhoidalem ipsum nimium, non neglectis reliquis symptomati-
bus huic conjunctis & consequentibus, in primis urgenti dolori.

2. PRÆSERVATORIA intenta est causis tûm remotis, tûm proxi-
mis removendis.

3. VITALIS denique vires oppressas ac depauperatas roborare,
ac ab alieno jugo inimico liberare satagit.

Hisce indicationibus satisfacere possumus auxiliis ex tribus usita-
tis fontibus de promptis. Et quidem

E CHIRURGICO ad causam tollendam præprimis commen-
damus VENÆSECTIONEM revellendi gratiâ instituendam, & quidem ma-
ture, nam si demū eam adhibere vellemus, cum necessarium illud naturæ
balsamū jam nimium est debilitatum & imminutum, profectò non ju-
varemus ægrum, sed sic viribus penitus depauperatis metuendum foret,
ne natura planè succumbat. Indicat eandem sanguinis qualitas & mo-
tus in primis vitiosus, consentit ætas, vires, habitus corporis, neque
obstat cacockymia, quæ quippe adhuc intra moderationis consistit ter-
minos. Secetur mediana vel basilica sinistri brachii, educito sanguine
ad 3ij. vel 3ij.

Venæsectioni substitui possunt CUCURBITULÆ superioribus
partibus, ut scapulis, humeris, brachiis applicatae. FONТИCULUS quo-
que in brachio vel pede excitari potest, si non ad revellendam materiam,
tamen ad evacuandam serosam acrem colluviem.

FRICTIONES verò & LIGATURÆ dolorificæ in superioribus institutæ partibus in hoc profluvio parum prodesse possunt.

Sin immoderatum profluvium frustraneum omnium medicamentorum usum reddiderit, ægro ustio svaderi posset, si quidem satius est aliquid non nullâ fiduciâ vel cum periculo facere, quam spes ademtâ certò perire, ut ait Galenus 10. M. M. c. 10. & juxta Celsum spes dubia certâ desperatione potior est, item secundum Hipp. 1. apb. 6. ad extremos morbos exquisitæ extremæ curationes optimæ. De modo ritè administrandi hancce operationē videri queunt chirurgi, in primis Scultetus in armam. chirurg. p. 174. qui ipse hoc modo nobilem quendam Venetum felicissimè curavit, ut & Alex. Massarias, qui sub finem l. 3. Prax. testatur se vidisse aliquem pristinæ sanitati h. m. restitutum. Speramus tamen, illâ non opus fore.

Ad PHARMACIAM delati ex ea eligimus primò LENIENTIA, ut per ea humores evacuentur serosi & acres, qui sanguinis sunt vehiculum & stimulus, ut natura hanc leniter evacuationem instituat, & hoc modo simul humores ad hæmorrhoides fluxuri ad intestina divertantur.

- Rx. decoct. seri tamarindinat. 3ij. elect. lenit. 3ij.
fir. cichor. c. rhabarb. 3ij. M. D. infct. S. Lind. Eranclein.
Rx. elect. lenit. pulp. tamarindor. a. 3ij.
extract. rhab. 3j. sacch. parum. M. in pyx. S. Lind. Eatverge.
Rx. rad. polypod. scrophular. a. 3*lb.*
pulp. tamarind. fol. sen. Alex. f. f. a. 3ij.
rhabarb. Alex. 3j. cryst. ♀ ri 3*lb.* coq. in f. q. □ simpl.
Colat. Rx. 3vj. adde fir. ros. solutiv. cich. c. rhab. a. 3*lb.*
M. F. potio. D. infct. S. Lind. Eranc auf 2. mahl.

Sequuntur PRÆPARANTIA biliosos & serosos humores, rarefactionem p. n. sanguini induentes, & decubitus hujusmodi. procurantes inhibentia, adeoque maximè proficia.

Rx. Rx ♂ Zwelffer. 3ij. D. in vitro.

Rx. Tinct. ♂ cydon. mist. antiscorb. eff. fumar. a. 3j.
M. S. Blutreinigende Mixtur.

Rx. crcc.

Rx. croc. ♂ ♀ at. nigr. 3j. rad. ari ppt.
ebor. s. Δ, hepat. rubr. Dresden. ā. g. xv. 100 mac. gtt. j. M.
S. in chartā Digestiv. Pūlverlein.

Rx. aq. endiv. cichor. urtic. acetos. acac. ā. 3j. plantag. 3vj.
Ræ ros. viol. ā. 3ij. fir. berb. rib. ā. 3β.
clyss. ♂. ♀ at. 3j. M. D. in fct. S. Digestiv. Trānclein.

PURGANTIBUS verò vix ultra sphæram mitiorum jam laudatorum
opus erit; sin id exigant circumstantiæ,

Rx. decoct. flor. & fruct. ℥j. elect. lenit. 100 verbasc. ā. 3β.
vitell. ov. n.j. sacchar. rubr. 3ij. M. F. l. a. Clyster.

Rx. MP. ♀ ear. Sröder. defumar. ā. 3β. extr. rhabar. g. v.
resin. gialap. g. iv. M. F. l. a. pilulæ D. in pyxide.
S. Laxier. Pillen.

Rx. extr. rhabar. mechoac. agar. ā. 3β. decoct. aper. Mes. 3ij.
fir. rofar. solutiv. 3ij. M. F. Haustus. S. Laxier. Trānclein.

Nec DIAPHORETICA officio suo deerunt, temperatoria tamen;
ne dum rarefit horum usu sanguis, magis affectum exacerbet.

Rx. bez. ♂l. CC. ust. ā. 3j. lap. bez. occ. g. iiiij.
magist. anod. g. ij. M. div. in 2. part. æqual. D. in ch.
S. Schweiß. Pūlverlein.

Rx. mixtur. simpl. 3j. extract. agrim. galeops. ā. 3j.
essent. anod. gtt. x. M. D. in vitr. S. Bertheil. Essens.

Rx. aq. card. ben. fumar. bezoard. ā. 3j.
3ii diaph. 3j. ♀ i rutac. 3ij. laud. op. g. j.
fir. acetos. citr. q. s. M.F. Potio D. in fct. S. Schweiß. Trānclein.

DIURETICORUM verò uti attemperandi salinos acres humo-
res summa est efficacia, ita hic quoque fine suo non frustrabuntur, di-
vertentia à posteriori stigma salsum, biliosum, à priori corrigendo vi-
scerum characterem & seri vitiatum.

Rx. magist. oc. ♂. 3j. succin. 3β. vitriolat. 3β.
M. D. in chart. S. Kühend Nieren. Pūlverlein.

Rx. □æacetos. antiscorbut. polychrest. a. 3j.

Ræ violar. aperit. a. 3j. sir. dialth. Fernel. 3ß.

M. S. Alterir und treibend Nieren. Trancflein i. Löffel vol uf einmahl.

Succedunt ALTERANTIA & CONFORTANTIA, partim tone viscerum, partim dolori & fluxioni dicata, quæ omne absolvunt punctum.

Rx. rad. bistort. nymph. tormentill. a. 3ij.

herb. millefol. centinod. agrim. summit. fumar.

fl. rosar. rubr. galeops. a. mj. gr. chermes 3ij.

infundantur c. 1biij. ser. capr. stent per dō.

D.S. blutstillend. und reinigender Trancf. oft darvon zu nehmen.

Rx. □æbistort. burs. pastor. plantag. a. 3i. succ. granat. acid. 3j.

Ræ ♀is Θli, ♂ adstring. a. 3i.

sir. corall. q. s. ad gratiam. M. F. Julepus.

Rx. eff. hæmat. sangvinis symph. a. 3j.

Ræ antiphthis. Gramman. 3ß. anod. gtt. xv. M. D. in vitro
S. anhaltende Eessenß.

De succo granatorum notatu dignam refert historiam Bartholinus
Act. Med. Haffn. an. 1671. 72. observ. 51. illustri cuidam viro, inquit, cui ante moderatius ad 3ias sangvis ex hæmorrhoidibus fluxerat, jam necno qua sanguinis acrimoniâ vel viarum laxitate ad libras manat, ad animi ferè deliquium, tentata ad revulsionem venæfectio aliaque remedia solita advocata, sed frustrà. Tandem præsens auxilium grana granatorum succulenta subministrarunt, quibus masticatis succoque deglutito cessavit periculosus sangvinis fluxus, cuius id circa remedii certitudinem sæpius factis experimentis deprehendit Hafniæ.

Chelidonio minori probatissimum usum tribuunt Medici practici, cuius encomium videri potest apud *Solenandrum Conf. p. 381.*

Possunt etiam adhiberi emulsiones illæ, à quibus *Andr. Cnöffelius Joh. Casimirum Regem Poloniæ non raro & aliquando sex vel septem septimanis omni dñe vexatum hoc malo, vulgaria remedia spernente, convaluisse notayit, quas reperire licet in appendice ad Eph. Germ. An. VI. & VII.*

- R. & Oli ♂ 3j. Ræ violar. 3ij. M. D. in vitr. S. Alteris. Zincatur.
R. effent. travmat. D. D. Pres. 3ij. anod. 3B. M. S. Stärck. Zincatur.
R. Ræ corall. ♂ adstr. a. 3j. M. D. in vitr. S. ut supra.
R. conserv. rosar. rubr. antiqu symb. a. 3j.
lap. hæmat. corall. rubr. & sigillat. a. 3iB.
fir. myrtill. q. f. M. F. l. a. Electuarium. S. Anhaltende
Latwerge.
R. conserv. violar. balaust. a. 3B.
sanguinis dracon. bol. armen. ebor. foss. ppt. a. 3ij.
req. Nic. 3j. fir. cyd. q. f. M. F. l. a. Elect. de quo saepius ca-
staneæ sumi potest quantitas.
R. extr. tormentill. agrimon. a. 3j.
sanguinis drac. croc. ♂ adstr. a. 3B. laud. opiat. g. iii.
M. F. Pilulæ instar lentium D. in pyx. anhaltende Pillen.
R. conserv. cichor. acetosell. ros. Olate a. 3B.
uvæ quern. ppt. 3iB. lap. hæmatit. sanguinis drac. mastich. a. 3j.
succ. acac. 3ij. extr. agrimon. theriac. a. 3B.
sirup. pilosell. myrtin. a. q. f. M. F. f. a. Elect. D. q. nuc. mosch.
R. pulv. stypt. D. D. Pres. 3ij. croc. ♂ adstring. 3B.
spec. diamarg. fr. 3j. laud. opiat. gr. iiij. M. F. l. a. Pulvis. D.
3j. pro dosi.
R. & sigill. 3j. lap. 3B. croc. ♂ astr. 3j.
diacod. solid. 3ij. smaragd. ppt. 3B. mag. anod. g. xii. M. F. l. a. pulv.
R. troch. de carabe 3ij. pulv. stypt. Heurn. 3B.
spec. diatragac. malicor. a. 3j. 3B. mastich. gtt. ij. M. f. f. a. pulv.
Dosi. 3j. 3B.
R. troch. de spod. mum. croc. ♂ adstr. a. 3j. laud. op. g. iB.
M. f. l. pulv. div. in 3. p. æq. D. in charta S.

Sirupus ille quoq; magni momenti est, quem describit Zaceutus Lusi-
us prax. historiarum l. ultim. num. 3. obs. 3. testans eodem plures ex
fluxu conclamatos sanitatem recuperasse.

Complementum hisce addent **TOPICA**, exterius applicanda, tūm dolenti tumorī, tūm fluxui ipsi immodico opem latura. Utut enim per memorata hactenus medicamina attemperato & in ordinem redacto sangvine, fecibus emollitis, acrimoniam biliosā, acri, salinā correctā reliqua inde producta sponte cessare par sit; nihilominus tamen & urgentibus symptomatibus per localia adscita satisfieri commodius poterit, & priorum intentio facilitari.

DOLORI quidem, ut paucis nos expediamus, occurrere licebit paregoricis, dissipantibus, emollientibus, quo nomine sequentia laudabimus.

Rx. *nd.alth.* ȝȝ. *herb.linar.* cum tot. mij.

fl.chamom. *Rom.mȝ.* *melil.* *thaps.* *barb.* ā. p.ijj.

sem.fæni græci, *lin.* *conquass.* ā. ȝijj.

mastich. *tbur.* ā. ȝȝ. M. D. in ch. S. Species zur Behung / cum lacte coquendæ.

Rx. *ungv.popul.* *mucilag.* *sem.psyll.c.* ▽*ros.fact.* ā. ȝȝ.

sacchari hni. g. xv. *ceruss.* ppt. ȝj. ȝii *diaph.* g. vj. ȝo. *ovor.* ȝijj.

M. F. l. a. ungu. D. in pyx. S. Lind. Säblein.

Rx. *theriac.* *Androm.* *cepar.* sub *ciner.* cœct. ā. ȝijj.

ȝo. *ovor.* ȝj. *croc.* gr. v. M. F. l. a. unguent. D. in pyx. S. u.s.

Rx. *fl.verbas.* p.ijj. *rad.scropul.* ȝȝ.

colophon.mastich. *myrrh.* ā. ȝj. M. D. in scat. S. Pulver zum räuchern.

Ad FLUXUM verò cohibendum unicè jam seligemus **O**lata, quæ palmam facile reliquis omnibus præripient. Sic *colcotharis* contactu id impetrare licet, modò, ut spes est, commodè oscillis hiantibus applicari possit, experimentis siquidem notum est pluribus, ochreâ & acetosâ suâ virtute hoc ipsum tūm sangvinis fluxiones varias & nominatim hæmorrhoidum, de quo vid. observatio *Heurnii l.6. aphor. comm. 12.* compescuisse, tūm ichorosas quoque ulcerum alias.

Sic iεργια ταυτα constituit *liquor stypticus*, hodiè decantatissimus ex **O**li simpl. vel **ɔlis** **prosapiā**, accessione affinis mineralis soluti, & pro lubitu saturno quoque roborandi, oriundus.

Tacemus pulvrem sympatheticum *Dygbei*, iisdem quasi
princi-

principiis innixum, & alia hujus commatis. Hæc enim instar omnium esse poterunt, reliqua si desiderentur, aliundè haurienda.

Nec indicta relinquenda amuleta varia, quæ contactu & effluviis suis sero & sanguini, per poros & glandulas subcutaneas, mediante calore actuata, suum characterem inprimere valent. Triumphat hoc nomine præ reliquis *fabaria*, amuletum ad haemorrhoides *Dn. D. Præsidis*, descriptum *ann. 2. ephem. Germ. obs. 195.* laudatum ab Illustri *Bartholino* tūm alibi, tum præcipue *dissert. de transplant. morbor. pag. 18.* De *Linariae* viribus item legi meretur *B. Rolfinc. Epit. aff. particul. l. 3. c. 22. p. 328.* De *scrophulariae* internâ & externâ efficaciâ, *Heerius obs. 20. p. 244.* ut carlinam & persicariam, aliaque *Helmontio* deprædicata, cingulum ex helleboro, vel helleborastro, & similia in prosce-nium non adducamus.

Astringendi virtute præter jaspidem, lapidem hæmatitem, carneolum, *Olum cyprium*, & similia, commendamus *polygonum*, ex-perimento *Dn. D. Præsidis* nobilitatum. Vid. *Ann. 3. Ephem. Germ. obs. 22. pag. 40.*

His, ut putamus, sufficienter ægro instructo, nil restat, quam ut paucis quoque vivendi regimen ordinemus.

IN NATURALI DIÆTA VICTUS eligatur in quantitate medioris; in qualitatibus refrigerans, temperans & incrassans, in genere εὐχυμού καὶ εὐπεπτού. Utatur diætâ plenâ ad vires recuperandas, ita tamen ne ὀργασμὸν conciliet sanguini. Conveniunt carnes pullorum, avium, leporum & aliæ teneriores, coctæ & assæ. Cumque superfluum foret ordinare examissim culinam, satis fuerit, quæ salubriora, quæ vitanda, edocere. Cordi habeat juscula avenacea, cremorem hordei & similia. Vitentur salita, infumata, exceptis boum linguis delicioribus, acria, aromaticæ, piperata. Condimenta ciborum sint acidula magis quàm volatilia, ut sinapi, raphanus rusticanus &c. POTUS sit cerevisia temperatior, qualis est Numburgen-sis. Præstat verò potus paulò largior ad alvum magis laxandam. Vi-num durante fluxu devitetur, extra eundem verò convenit Neccari-num, Rhenanum non adèò generosum, & moderatè haustum.

In VITALI eligatur AER purus, temperatus, ad frigiditatem aliquo modo vergens.

In ANIMALI QUIETI & SOMNO magis indulgendum. ANIMI PATHEMATA sint moderata, animus sit tranquillus, exulet ira, aliæque commotiones majores. ALVUS si plus justo adstricta, solicitanda victu, infusis & clysteribus emollientibus, in recessu simul roborantibus, sed cautè, ne sinister eventus inde producatur, ut celeberrimo Peirescio, clystere non satis cautè applicato, ea facta hæmorrhoidum læsio, ut gangræna ad eas partes brevi subnata fuerit, referente in ejus vitâ Gassendo l.4. p.358. Nihil verò magis dolorem hæmorrhoidum concitat, quam alvi officium deficiens, nil fluxum magis, quam fortius adactum idem...

DEO TRIUNI GLORIA.



Ulām miserum est in ventre facies flammare dolorum,
& alveos vitale nectar transgredi;
Tām clarum est mediis illas extinguer certis,
atque aggeres cohibere recte sanguinis.

Tu

Tu dum suppetias Archeo ferre la-
boras,
morbi peritus artifex dignè clues.

*Per eximio Dr. Respondenti, Auditori hactenus
assiduo, pio, docto, benevoli affectus tesse-
ram hanc ponō*

PRÆSES.

Dotes ingenii monstrans, nunc publica scandis
pulpita: propensò applaudo Tibi pectore &
ore,
G voveo, ut patriæ hinc nascatur gloria magna!
autoxediāsi adpos.

Augustinus Henricus Faschius,
D. P. P. p. t. Decanus.

N Il morbi est, modo ne metuas, mi nobilis
ECCARD:

*Sanguis ab antiquo stemmate ritè fluit.
Sanguinem enim patrum ac animam dum
decoquit alter,*

*ā ipsa p̄eov docto TU legis ingenio.
Sanguineam hinc credo tua tempora docta tiaram
mox decoraturam: Sint rata vota D'E O.*

*Nobilissimi Dn. Patri sumtus optimè collocanti filio, Dn. Respon-
denti nobili, grāanti ac bōtibō animo paucula
hec deproperabat*

*Joh. Matthæus Junder /
Jur. Pract. Waltershus.*

Ilibrithesaurus Tibi sunt pretiosior auro,
Omnibus & gemmis, quas maria ali-
tenent.

*Artemscrutaris, Medicorum arcana requi-
ris,*

Libri sunt animæ pabula sola Tuæ.

*Arcta Tibi persæpe fuerunt tempora somni,
Versasti egregiâ sedulitate libros.*

*Sed Tibi quos tulerit tam rara industria fructus,
Ostendit præsens hocce tuum specimen.*

*Cum laude ascendis medicam cathedram, Tibi docto-
Sermo est de fluxu sanguinis immodico.*

*Hicce tuis nos lætamur successibus, atque
Fugis ut, optamus, sit Tibi prosperitas.*

*Dum Patriam repetis nostro divulsus ab ore,
Sit D E U S ipse comes quæque pericla fugans!
Adspicias lætus felici in sorte Parentes,
Incolumem videant Te reducemq; Tui!*

His paucis

*Gaudium suum ex felici Pereximii Dn. Respondentis in A-
Medicâ successu conceptum, amoris vehementiâ il-
læcti, unanimi votô testari, prosperumque ad
Patrios lares suscipiendum iter
adprecari voluerunt
Ejusdem*

CONCIVE

FINIS.